Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 799
Quelle:
Copyright:

gerunt, qui ſuſpicari ſaltem debuiſſent, extrema *Libro* I. deeſſe; cum enim is illis *in Calceamenta* defineret, incipiebat *Liber* II. *Duplici igitur hoc, quod diximus, cingulo* &c. Itaque plana nunc ſunt omnia. Ceterum lectio etiam Codicis noſtri valde exacta eſt, utque non deſit ſpecimen, collationem *Praefationis* expende.

Codex	Editio
non muto auri metallo	*non multo auri metallo*
coenobiorum ex parte orientalium &c.	*coenobiorum experte orientalium* &c.
in ſola experientia usuque	*in ſola experientia usque*
cito retrorſum — dilabuntur	*cito rurſum — dilabuntur*
vita notabiles	*vita nobiles*
in veritate ſitientibus	*veritatem ſitientibus*
Nequaquam enim credas	*Nequaquam credens.*

II. *fol.* 59. p. 2. habetur manu poſſeſſoris Braſſicani: *D. Salonij Epiſcopi Viennenſis* (potius *Genevenſis* circa a. 567.) *Interpretatio in Parabolas Salomonis. Item in Eccleſiaſten.* Geminum hoc Opuſculum conſcriptum dialogo inter Fratres *Salonium* et *Veranium* S. *Eucherii Lugd.* Filios extat in *Orthodoxographis* et PP. *Bibliothecis*, nominatim *Lugd.* T. VIII. p. 401. Aſt unde? Ex Edit. *Haganoae* curata a. 1532. a *J. Alex. Braſſicano*, 4. et dicata *Guil. Figulo* Coenobii O. Ciſt. *ad S. Crucem* in *Auſtria* Abbati. Unde vero iſthaec Editio? E noſtro nempe Codice. Docet id Collatio, quae tamen etiam docet, non acutiſſime vidiſſe Librarium, dum ἀπογραφον conficeret. Ut enim vel ad principium utriusque *Dialogi* animadvertam, in priore, ubi Codex legit *altius et ſpiritaliter*, transſcripſit *aliter et ſpiritaliter*, et in altero, ubi bis rite habetur *Cobeleth*, illud deformavit in *Cobelecht*, PP. Bibliotheca errorem temperante in *Cobelech*, qua ſane ratione Codices mſſ. non, quod potius oporteret, emendantur, ſed corrumpuntur. Ceterum prior Dialogus a prima manu inſcriptus *Gloſe Parabolarum* incipit: *Parabole qua lingua dicuntur? Greca* &c. Alter *De Nominibus Salemonis. Quot nominibus uocatus eſt ſalemon? Tribus* &c. De Autore *Salonio* vide, ſi lubet, *Hiſt. lit. de la France* T. II. p. 433. Codicem ab interitu vindicatum in Praef. ſua teſtatur *Braſſicanus*; quas vero querelas adjungit, non ſuo ſolum Seculo ſcriptas eſſe putes.

III. *fol.* 75. manu, ut videtur, Sec. XIII. et per 2. columnas Sermo ἀνεπιγραφος ad Sacerdotes de curandis animorum vitiis in illud *Jer.* LI. 8. *Subito cecidit Babylon et contrita eſt* &c. Initium: *Ad uos ſacerdotes dei ſummi animarum*